

Vndique conductis præstanti laude parabat  
Artis & ingenij reddere clara viris.  
Hic socio ipso annis viginti octoq; L V T H E R I,  
V Vittembergiæ res fuit ampla Scholæ.  
Quam septem bis adhuc prouexit deinde gubernans,  
Fluctuagam vt vastum per mare nauta ratem.  
Heu tempestates quas hic perpeffus, & ad quam  
Sæuos hæc scopulos acta carina fuit?  
Quantum externi odij, quantum inuidiæq; suorum,  
Ingratorum hominum quæ maledicta tulit?  
Ipse tamen quamuis reflantibus vndique ventis,  
Directum est, retinens vera, secutus iter.  
Fortia nec clamor latrantis pectora turbæ,  
Nec vulgus strepitu mouit inane suo.  
Summa petit liuor, Nemo hunc superare nisi ipse  
Possit, si studijs oia suppeterent.  
Ista sub obliquo norunt quoque Sole locati,  
Quique sub opposito forsitan axe iacent.  
Scripta sed illius memorabilia inter, & acta  
Plurima, quæ solida nomina laudis habent:  
Vnum opus eximium est, fidei Contelsio sanctæ,  
Ante tuos Cæsar Carole lecta pedes.  
Languida qua Christi iamdudum Ecclesia nitens  
Rursum audet vultus tollere læta suos.  
Concurrant inimici omnes licet vndique, hic vnus  
Confutare potest improba dicta liber.  
Ac tua nunc terris floret bona fama P H I L I P P E,  
Viuit & æternum spiritus ante Deum.  
Corpus at exanimū tumulo hoc requiescit humatū,  
Condecorant gratæ quem monumenta Scholæ:  
Ille quod expletis lenio, curisq; grauatum,  
Sexaginta annis exiit atq; tribus.  
Sic, morbo vt paucis nisi debilitante diebus,  
Muneris officium fecerit omne sui.  
Atq; olim æthereas veniet reuocatus in auras,  
Integer & mortis liber ab inde metu.  
Sancte vir, & salue pater optime, te tua semper  
Nos soboles merita religione colet.  
Doctrinæ nobis veræ tu doctor & autor,  
Hæc tua claræ ætas munera lucis habet.  
Salue iterum atq; iterum, tua nos immota manebit  
Semper apud memores gloria, nomen, honor.

Ioachimus Camerarius.

V V I T E B E R G Æ Iob. Sch. Wertel excedebat Anno 1582.